Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

nulla sit: ubicumque simulacrum sit: est: Nam si religio ex divinis rebus
est: divini autem nihil est: nisi in celestibus rebus: Carent ergo religione
simulacra: Quia nihil potest esse in aere: quod fit ex terra: Quod quidem
de nomine ipso apparere sapienti potest: Quicquid enim simulatur: id fal
sum sit: necesse est: nec umquam potest veri nomen accipere: quod veritatem
fuco et imitatione mentitur: Si autem omnis imitatio non res potissim
seria: sed quasi ludus ac iocus est: non religio in simulacris: sed mimus re
ligionis est: Preferendum est igitur falsis omnibus verum: calcanda ter
rena: ut celestia consequamur: Ita enim se res habet: ut quisquis animam suam, cuius
origo de celo est: ad inferna et ima prostraverit: eo cadet: quo se ipse deiecerit:
Ideoque oportet rationis ac status sui memorem non nisi ad superna niti semper
ac tendere: Quod qui fecerit. hic plane sapiens. hic iustus. hic homo. hic
denique celo dignus iudicabitur: quem suus parens non humilem nec ad
terram more quadrupedis adiectum: sed stantem potius ac rectum: sicut
eum fecit: agnoverit:-

Peracta est nisi fallor: magna et difficilis suscepti operis portio
et maiestate celesti suggerente nobis dicendi facultatem: in
veteratos depulimus errores: Nunc vero maior nobis ac diffi
cilior cum philosophis proposita luctatio est: quorum summa doctrina et eloquentia:
quasi moles aliqua mihi opponitur: Nam ut illic multitudine ac prope
consensu omnium gentium premebamur: ita hic auctoritate prestantium omni
laudis virorum genere: Quis autem nesciat plus esse momenti in paucio
ribus doctis: quam in pluribus imperitis: Sed non est desperandum istos quoque
de sententia deo et veritate ducibus posse depelli: nec tam pertinaces fore ar
bitror: ut clarissimum solem sanis ac patentibus oculis videre se neget:
modo illud verum sit: quod ipsi solent profiteri: studio investigande veri
tatis se teneri: Efficiam profecto: ut qualitam veritatem diu et a se inven
tam esse credant: et humanis ingeniis inveniri non potuisse fateatur:-

Commendatur in primis veritas et omni prefertur eloquentie et
quare eam non sint assequuti philosophi: aperitur: et quare stilo simplici sacra
scribantur eloquia. et quod philosophis tunc maxime credendum est: cum
suam ignorantiam profiteantur:
Quod ipso nomine philosophie comminatur: quam inanis fuerit gentiliter philoso